

QUÆSTIO CLXIV.

« Non coques agnum in lacte matris suæ¹. » Ecce dixit iterum, quod quemadmodum intelligi possit, ignoro. Magna tamen est de Christo propheta, etiamsi fieri ad litteram possit: quanto magis si non potest? In sermonibus enim Dei non sunt ad proprietatem operum revocanda, sicut nec illud de petra, et caverna ejus², et manus superpositione. Sed plane de fide narratoris hoc exigendum est, ut quæ dicit facta esse, vere facta sint, et quæ dicit dicta esse, vere dicta sint. Quod exigitur etiam a narratoribus Evangelii: cum enim Christum narrent quædam dixisse, quæ in parabolis dixit; tamen hæc eum dixisse non parabola, sed historica narratio est.

QUÆSTIO CLXV.

« Et erat ibi Moyses in conspectu Domini quadraginta » diebus et quadraginta noctibus, panem non manduca- » vit, et aquam non bibit³. » Quod et ante dixerat, quando tabulas accepit, quas fregit; hoc etiam modo repetit: non recapitulando quod factum est, sed iterum factum esse commendans. Repetitio quippe Legis jam quid significet diximus. Quod autem ait: « Panem non man- » ducavit, et aquam non bibit, » intelligitur, jejunavit, a parte totum: id est, nomine panis omnem cibum, et nomine aquæ omnem potum significante Scriptura.

QUÆSTIO CLXVI.

« Et scripsit in tabulis verba Testamenti, decem ver- » ba⁴. » De Moyses dictum est quod ipse scripserit, cui etiam Deus paulo ante dixerat: « Scribe tibi verba hæc⁵. »

¹ Exod. xxxiv, 26. — ² Id. xxxiii, 22. — ³ Id. xxxiv, 28. — ⁴ Ibid. — ⁵ Ibid. 27.

Cum vero primum Legem accepit, cujus tabulas abjecit et fregit, nec ipse excidisse dictus est tabulas lapideas, et modo dictum est: « Excide tibi duas tabulas lapideas¹: » nec ei dictum est ut scriberet, sicut ei modo dicitur: nec eas ipse scripsisse narratur, sicut modo narrat Scriptura, et dicit: « Scripsit in tabulis verba Testamenti, decem » verba: sed tunc dictum est: « Et dedit Moysi, statim » ut cessavit loqui ad eum in monte Sina, duas tabulas » testimonii, tabulas lapideas scriptas digito Dei². » Deinde paulo post: « Et conversus, inquit, Moyses » descendit de monte, et duæ tabulæ testimonii in ma- » nibus ejus, tabulæ lapideæ scriptæ ex utraque parte » earum, hinc atque hinc erant scriptæ, et tabulæ opus » Dei erant, et scriptura scriptura Dei insculpta in tabu- » lis³. » Proinde magna oritur quæstio, quomodo illæ tabulæ, quas erat Moyses Deo utique præsciente fracturus, non hominis opus esse dicantur, sed Dei; nec ab homine scriptæ, sed scriptæ digito Dei: posteriores vero tabulæ tandiu mansuræ, ac in tabernaculo ac templo Dei futuræ, jubentem quidem Deo, tamen ab homine excisæ sint, ab homine scriptæ. An forte in illis prioribus gratia Dei significabatur, non hominis opus; qua gratia indigni facti sunt revertentes corde in Ægyptum, et facientes idolum; unde illo beneficio privati sunt, et propterea Moyses tabulas fregit: istis vero tabulis posterioribus significati sunt qui de suis operibus gloriantur; unde dicit Apostolus: « Ignorantes Dei justitiam, et suam volentes constituere, » justitiæ Dei non sunt subjecti⁴; » et ideo tabulæ humano opere exculptæ, et humano opere conscriptæ datæ sunt, quæ cum ipsis manerent, ad eos significantes de suis operibus gloriaturus, non de digito Dei, hoc est, de Spiritu Dei.

¹ Exod. xxxiv, 1. — ² Id. xxxi, 18. — ³ Id. xxxii, 15, 16. — ⁴ Rom. x, 3.

II. Certe ergo repetitio Legis Novum Testamentum significat: illud autem Vetus significabat, unde concontractum et abolitum est: maxime quoniam cum secundo Lex datur, nullo terrore datur, sicut illa in tanto strepitu ignium, nubium et tubarum; unde tremefactus populus dixit: « Non loquatur Deus ad nos, ne moriamur¹: » unde significatur timor esse in Vetere Testamento, in Novo dilectio. Quomodo igitur hæc solvitur quæstio, quare illæ opus Dei, istæ opus hominis; et illæ conscriptæ digito Dei, istæ scriptæ ab homine? An forte ideo magis in illis prioribus Vetus significatum est Testamentum, quia Deus ibi præcepit, sed homo non fecit? Lex enim posita est in Vetere Testamento, quæ convinceret transgressores, quæ subintravit ut abundaret delictum². Non enim implebatur timore, quæ non impletur nisi charitate. Et ideo dicitur opus Dei, quia Deus Legem constituit, Deus conscripsit: nullum opus hominis, quia homo Deo non obtemperavit, et eum potius reum Lex fecit. In secundis autem tabulis homo per adiutorium Dei tabulas facit, atque conscribit, quia Novi Testamenti charitas Legem facit. Unde dicit Dominus: « Non veni Legem solvere, sed implere³. » Dicit autem Apostolus: « Plenitudo Legis charitas⁴: » et: « Fides quæ per dilectionem operatur⁵. » Factum est itaque homini facile in Novo Testamento, quod in Vetere difficile fuit, habenti fidem quæ per dilectionem operatur, atque illo digito Dei, hoc est, Spiritu Dei intus eam in corde scribente, non foris in lapide. Unde dicit Apostolus: « Non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus⁶: quoniam charitas Dei, qua veraciter impletur præceptum, diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis⁷. » Hoc est, ergo

¹ Exod. xx, 19. — ² Rom. v, 20. — ³ Matth. v, 16. — ⁴ Rom. xiii, 10. — ⁵ Gal. v, 6. — ⁶ I Cor. iii, 3. — ⁷ Rom. v, 5.

primo data Lex, (ubi significatur Vetus Testamentum, quod est opus tantummodo Dei et conscriptio digiti Dei,) quod Apostolus dicit: « Itaque Lex quidem sancta, et » mandatum sanctum, et justum, et bonum¹. » Lex ergo sancta et bona, Dei opus est: ubi homo nihil agit, quia non obtemperat; sed reatu potius premitur, Lege minante atque damnante. Peccatum enim, inquit, ut appareat peccatum, per bonum mihi operatum est mortem. Beatus autem homo est, cum hoc mandatum sanctum, et justum, et bonum est etiam opus ejus, sed per gratiam Dei.

QUÆSTIO CLXVII.

MOYSES ad filios Israël, posteaquam de monte descendit, habens alias tabulas Legis, circumposito sibi velamine propter gloriam vultus ejus, quam filii Israël non poterant intueri: « Hæc, inquit, verba, quæ dixit Dominus minus facere ea²: » ambigue positum est, utrum ea facere ipse Dominus, an illi: sed utique manifestum est quod illi; jussit quippe ille quæ fierent. Sed forte ideo sic positum est, ut ex utroque accipiatur; quia et Dominus facit, cum facientes adjuvat, secundum illud Apostoli: « In » timore et tremore vestram ipsorum salutem operamini, » Deus enim est qui operatur in vobis et velle, et operari, » pro bona voluntate³. »

QUÆSTIO CLXVIII.

« OMNIS afferens demptionem, argentum et æs attulerunt demptionem Domino⁴: » tanquam diceret: « Omnis qui attulit, attulit illud atque illud, » inter cætera quæ dicebat; et argentum et æs commemorans. « Demptionem » sane interpretati sunt Latini, quod græcus

¹ Rom. vii, 12. — ² Exod. xxxv, 1. — ³ Philip. ii, 12, 13. — ⁴ Exod. xxxv, 24.

habet *ἀγαθήα*. Appellata est autem demptio, eo quod sibi demeret qui Domino afferret.

QUÆSTIO CLXIX.

NARRANTE Moysē commemoratum est quod ei dixit Deus de Beseleel eisdem verbis ac totidem, quod eum impleverit Spiritu divino sapientiæ, et intellectus, et scientiæ ad tabernaculi opera faciendā, quæ pertinent ad artes opificum¹: unde quid nobis videretur jam diximus². Sed ideo nunc hoc idem commemorandum putavi, quia non frustra eisdem omnino verbis repetitum est, quibus antea Moysi a Domino fuerat intimatum. Sane novo more hic ars architectonica perhibetur, opificum ex auro, et argento, et quocumque metallo, cum illa dici soleat architectonica, quæ pertinet ad fabricas ædificiorum.

QUÆSTIO CLXX.

« Et omnes qui sponte vellent ire ad opera, ut con-
summarent ea, et acceperunt a Moysē omnes demptio-
nes³. » In notitiam tantum Moyses pertulit quæ Domi-
nus opera fieri præceperit, tabernaculum scilicet cum
omnibus quæ in eo essent, et vestes sacerdotales: Com-
memoravit autem quosdam, quibus dixit Spiritum divi-
nitus datum, quo illa efficere possent: et tamen multi
intelliguntur sponte ad eadem opera venisse quibus neque
imperatum est, nec eorum nomina commemorata sunt a
Domino dicta Moysi. Non ergo illi soli hoc munus divi-
nitus habuerunt, qui nominatim commemorantur, sed
fortasse præcipue atque excellentius. Laudandus est autem
in his omnibus non attractus ad opus serviliter animus,
sed liberaliter et sponte devotus.

¹ Exod. xxxv, 19. — ² Vide supra quæst. cxxxviii. — ³ Exod. xxxvi, 2, 3.

QUÆSTIO CLXXI.

NOTANDUM quod illi qui sapientes appellantur, effectores operum sancti, etiam moribus tales erant, ut cum ipsi susciperent omnia quæ populus offerebat, existimans necessaria ex quibus illa omnia complerentur¹, viderunt plus offerri quam erat necesse, et dixerunt Moysi; atque ille per præconem ultra populum offerre prohibuit. Poterant autem, si vellent, multa auferre, sed modestia prohibuit, vel religio terruit.

QUÆSTIO CLXXII.

POSTEAQUAM descendit Moyses de monte, opera com-
mendantur tabernaculi construendi, et vestis sacerdotalis,
de quibus faciendis antequam aliquid præciperet, locutus
est ad populum de sabbati observatione². Ubi non im-
merito movet, cum decem verba Legis acceperit in tabulis
lapideis iterum, quas ipse excidit, ipse conscripsit; quare
de sabbato solo, posteaquam descendit, populum admo-
nuit? Si enim propterea decem præcepta Legis superfluum
fuit ut populus iterum audiret, cur non fuit superfluum,
ut de sabbato audiret, cum et hoc in eisdem præceptis
decem legatur? An et hoc simile est velamento, quo fa-
ciem obtexit, quia splendorem vultus ejus filii Israël non
poterant intueri? Nam ex decem præceptis hoc solum po-
pulo præcepit, quod figurate ibi dictum est: alia quippe
ibi novem sicut præcepta sunt, etiam in Novo Testamento
observanda minime dubitamus. Illud autem unum de sab-
bato usque adeo figurata diei septimi observatione apud
Israëlitas velatum fuit, et in mysterio præceptum fuit,
et quodam sacramento figurabatur, ut hodie a nobis non
observetur, sed solum quod significabat intueamur. In

¹ Exod. xxxvi, 4, 5. — ² Id. xxxv, 2.

illa autem requie ubi opera servilia jubentur cessare, magna est altitudo gratiæ Dei. Tunc enim fiunt cum requie opera bona, cum fides per dilectionem operatur¹: timor autem tormentum habet, et in tormento quæ requies? Unde timor non est in charitate: « Charitas autem » diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, » qui datus est nobis². » Ideo « Sabbatum requies sancta » Domino³. » Dei scilicet gratiæ tribuenda, non nobis velut ex nobis. Alioquin nostra opera sic erunt, ut sint humana, aut peccata: aut cum timore, non cum dilectione; et ideo servilia sine requie. Plenitudo autem sabbati erit in requie sempiterna. Non enim frustra institutum est et sabbatum sabbatorum⁴.

QUÆSTIO CLXXIII⁵.

SUPERIUS quando prius locutus est Deus de tabernaculo unguendo, dixit eadem unctione sanctificari illa omnia, et fieri Sancta sanctorum⁶. Altare autem holocaustomatum eadem unctione sanctificatum, dixerat fieri Sanctum sancti⁷: et hoc interesse videbatur, quod nihil eorum dixisset Sanctum sanctorum, nisi quod tantum velo separabatur a Sancto, id est, ubi erat arca Testamenti et altare incensi. Nunc autem cum eadem repeteret, dixit de tabernaculo uncto et his quæ in illo essent, quod eadem unctione sanctificarentur, et fierent sancta⁸: illud autem altare holocaustomatum, de quo prius dixerat, quod fieret Sanctum sancti, eadem unctione nunc dixit fieri Sanctum sanctorum⁹. Unde datur intelligi tantumdem valere, quod dictum fuerat Sanctum sancti, quantum valet quod dictum Sanctum sanctorum est: ac per hoc et illa omnia uncta, id

¹ Gal. v, 6. — ² Rom. v, 5. — ³ Exod. xxxv, 2. — ⁴ Lev. xxv. — ⁵ Alias ex quæst. clxxii. — ⁶ Exod. xxx, 26. — ⁷ Id. xxix, 37. — ⁸ Id. xl, 9. — ⁹ Ibid. 10.

est, totum tabernaculum, et quæcumque in eo essent, quæ prius appellaverat Sancta sanctorum, tantumdem valere quod nunc ait Sancta: nec unumquodque eorum dici tantummodo post istam unctionem Sanctum sancti, verumetiam Sanctum sanctorum, sicut altare holocaustomatum, ut jam nihil intersit, quantum ad hanc appellationem attinet, inter illa quæ interius intra velum fuerant, id est, ubi erat arca testimonii, et cætera foris, nisi quod illa interius ita dicebantur Sancta sanctorum vel Sanctum sanctorum, ut etiam ante unctionem sic appellarentur; cætera vero unctione sanctificata sunt, ut hoc nomen acciperent. Quod otio discutiendum est quid ista significant.

QUÆSTIO CLXXIV¹.

CUM Scriptura narraret quomodo Moyses constituerit tabernaculum: « Extendit, inquit, aulæa super tabernaculum²: non utique desuper tectum, sed cingens columnas; quia de columnis dixerat, quod statuerit tabernaculum.

QUÆSTIO CLXXV³.

CUM dicit: « Et super atrium in circuitu tabernaculi et » altaris⁴, » manifestat altare holocaustomatum ad hostium tabernaculi forinsecus fuisse, ut atrio totum ambitur, et altare esset infra atrium inter portam atrii et ostium tabernaculi.

QUÆSTIO CLXXVI⁵.

NOTANDA est res multum mirabilis, quod nube descendente et implente tabernaculum⁶, quæ tamen gloria Domini dicitur, non poterat Moyses intrare tabernaculum,

¹ Alias clxxiii. — ² Exod. xl, 19. — ³ Alias ex quæst. clxxiii. — ⁴ Exod. xl, 19. — ⁵ Alias ex quæst. clxxiii. — ⁶ Exod. xl, 34, 35.

qui in monte Sina, quando Legem primitus accepit, intravit in nubem ubi erat Deus¹. Procul dubio ergo aliam personam tunc figurabat, aliam nunc: et tunc eorum qui participes fiunt intimæ veritatis Dei; nunc autem Judæorum, quibus gloria Domini, quæ in tabernaculo est, quod est gratia Christi, tanquam nubes opponitur, non eam intelligentibus, et ideo non intrant in tabernaculum testimonii. Et hoc credendum est semel factum, mox ut constitutum est tabernaculum, significationis hujus causa, vel alicujus alterius. Neque enim semper sic erat nubes super tabernaculum, ut illuc Moyses intrare non posset²; quandoquidem non removebatur nubes, nisi cum eis hoc signum dabatur disjungendi, hoc est, castra movendi ex eo loco ubi erant; et accedendi quò nubes ducebat per diem, flamma per noctem. Quæ duo vicissim etiam super tabernaculum manebant, ubi castra posuissent, nubes per diem, flamma per noctem.

QUÆSTIO CLXXVII³.

I. QUONIAM liber qui Exodus dicitur, in constitutione tabernaculi sumit terminum, de quo tabernaculo etiam per superiora ejusdem libri multa dicuntur, quæ faciant difficultatem intelligendi, sicut solet omnis περιγραφή, id est, loci alicujus descriptio in omni historia facere: visum est mihi de toto ipso tabernaculo separatim dicere, quo intelligatur, si fieri potest, quale illud, et quid fuerit, interrim proprietate narrationis inspecta, et in aliud tempus dilata figura significatione: neque enim aliquid ibi fuisse putandum est, quod jubente Deo constitueretur sine alicujus magnæ rei sacramento, cujus cognitio fidem formamque pietatis ædificet.

II. Jubet ergo Deus Moysi facere tabernaculum decem

¹ Exod. ix, 20. — ² Id. xiii, 21. — ³ Alias clxxiv.

aulæorum de bysso torta, et hyacintho, et purpura, et cocco torto, Cherubim opere textoris¹, ἀυλαίας quas Græci appellant, Latini aulæa perhibent, quas cortinas vulgo vocant. Non ergo decem atria fieri jussit, sicut quidam negligenter interpretati sunt: non enim ἀυλαίς, sed ἀυλαίας dixit. Opere ergo textili Cherubim jussit in aulæis fieri², quorum aulæorum longitudinem esse præcepit cubitorum viginti-octo, et latitudinem cubitorum quatuor. Cohærere autem invicem aulæa, et conjungi inter se quinque hinc, et quinque inde, ut spatium quod eis cingeretur, hoc esset tabernaculi spatium³. Quomodo autem inter se connecterentur eadem quina aulæa, ita præcepit: « Facies illis, » inquit, ansas hyacinthinas in ora summa aulæi unius » ex una parte in commissuram: et sic facies super ora » summa ad commissuram secundam⁴: » id est, ubi committitur aulæum aulæo, tertium scilicet secundo, quod secundum jam cum primo commissum est, id est, conjunctum atque connexum, faciem contra faciem consistentia ex adverso singula: quoniam inter se jussit quina conjungi, ut ex adverso constituerentur. Utrum autem quadrum spatium his concluderetur, an rotundum, nondum apparet: sed apparebit cum de columnis coeperit dicere, quibus protenduntur aulæa. Non ergo amplius quam de trium connexionem dicere voluit, quæ fit in duabus commissuris, secundi ad primum, et tertii ad secundum, ut ex hac veluti regula cætera jungerentur. Ansas ergo præcepit fieri primo aulæo quinquaginta ex una parte, qua illi fuerat committendum secundum; et ansas quinquaginta tertio aulæo ex ea parte, qua secundo conjungebatur: ipsum autem secundum, id est, inter utrasque ansas quinquagenas medium, circulos habere voluit quinquaginta aureos, utique ex una parte, per quos conjun-

¹ Exod. xxvi, 1. — ² Ibid. 2. — ³ Ibid. 3. — ⁴ Ibid. 4.

geretur quinquaginta ansis aulæi primi; ac per hoc consequens erat, ut ex alia quoque parte circulos totidem haberet, per quos conjungeretur ansis aulæi tertii. Quod breviter Scriptura ita dixit: « Et facies circulos quinquaginta aureos, et conjunges aulæum ad aulæum circulis, » et erit tabernaculum unum¹. » Circuli ergo quinquaginta aurei secundi aulæi, inserebantur quinquaginta ansis hyacinthinis primi aulæi; quinquaginta circuli inserebantur et quinquaginta ansis tertii aulæi; et deinceps ita cæteri connectebantur, ut quinque complecterentur, atque ex adversa parte alia similiter quinque.

III. Deinde dicit: « Et facies vela capillacia operire » super tabernaculum²: » id est, quæ venirent super, non a parte tecti, sed supercingendo. Dicimus enim et sic aliquid superponi, non quemadmodum tectum domus, sed quemadmodum tectorium parietis, tanquam super lineam fasciam, « Undecim, inquit, vela facies ea. Longitudo » veli unius erit triginta cubitorum, et quatuor cubitorum » latitudo veli unius: mensura eadem erit undecim velorum. Et conjunges quinque vela in se, et sex vela in se³. » Quomodo illa aulæa voluit quina conjungi, sic ista vela quinque et sex, quæ undecim erant, non decem. « Et » duplicabis, inquit, velum sextum secundum faciem » tabernaculi⁴: » ne moveret quia impariliter alterutrum incurrebant sex et quinque. Deinde dicit etiam ista vela capillacia, quemadmodum sibimet jungerentur. Et idem dicit, sed fortasse planius: « Et facies, inquit, ansas quinquaginta in ora veli unius, quod contra medium est⁵, » id est, contra secundum, quia ipsum erit medium inter primum et tertium: « Secundum commissuram, » id est, juncturam: « Et quinquaginta ansas facies super oram

¹ Exod. xxvi, 6. — ² Ibid. 7. — ³ Ibid. 8, 9. — ⁴ Ibid. — ⁵ Ibid. 10.

» veli, quod conjunctum est ad secundum velum¹, » id est, super oram tertii veli, qua conjungitur secundo. « Et » facies circulos æreos quinquaginta, et conjunges circulos de ansis, et conjunges vela, et erit unum². » Circulos ergo medio velo voluit apponi, id est, secundo, quibus quinquagenis ansis jungeretur primo et tertio. Nihil hic aliud est, nisi quod circulos non aureos, sed æreos fieri nunc præcepit. Ansas autem in aulæis hyacinthinas dixerat: in velis autem capillaciis, quoniam tacuit cujusmodi essent ansæ, quid nisi capillacias eas credibilibus accipimus.

IV. Quod deinde sequitur ita est ad intelligendum difficile, ut verear ne exponendo fiat obscurius. Dicit enim: « Et suppones in velis tabernaculi dimidium veli quod » superaverit, subteges quod abundat de velis tabernaculi, subteges post tabernaculum. Cubitum ex hoc, et » cubitum ex hoc, ex eo quod superat velis de longitudine » velorum tabernaculi, erit contegens super latera tabernaculi, hinc atque hinc ut operiat³. » Cum sextum velum jusserit duplicari secundum faciem tabernaculi, quid dicat superare in velis dimidium veli, et quid dicat: » Cubitum ex hoc, et cubitum ex hoc, » cum dimidium veli quindecim cubita sint, quoniam triginta cubitorum jussit esse unum velum, quis facile intelligat? Aut si propterea superat de longitudine velorum, quia prima aulæa de bysso, et cocco, et purpura, et hyacintho viginti-octo cubitis longa esse præcepit, ista vero capillacia triginta cubitorum esse voluit, duobus cubitis superantur singula aulæa a singulis velis capillaciis: quæ in summam ducta, excepto undecimo quod duplicari jussit, viginti cubita excrescunt, quibus superatur ambitus auleorum ambitu capillaciorum. Decem quippe velorum cubita bina, quibus longiora

¹ Exod. xxvi, 10. — ² Ibid. 11. — ³ Ibid. 12, 13.